



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 125. Pii IV. Pontificis diploma pro Synodo Tridenti celebranda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

nalibus fuit approbatum, in eo tamen **Sæcul. XVI.**
 hæ voces: *Continuata Synodus*: nonnul- **A.C. 1560.**
 lis exofæ caute reticebantur, hinc pro
 illis subrogabantur alia idem ferme si-
 gnificantia verba; narrabatur enim,
 quod Tridenti plura fuerint condita de-
 creta primo sub Paulo III., ac postea re-
 staurata Synodo sub Julio III. inde vero
 Concilii suspensio fuerit suborta, quæ
 tamen nunc submoveretur: ex his au-
 tem verbis sat aperte declaratum, quod
 priora decreta in eadem vi, atque effi-
 cacia relinquerentur, quam decreta
 cujuscunque Oecumenicæ Synodi ad-
 hucdurum durantis obtinere valerent.

§. CXXV.

*Pii IV. Pontificis diploma pro Synodo
Tridentini celebranda.*

Percipiamus, quibus verbis conceptum *Lable Conc.*
 fuerit hoc diploma, cui præfixa *coll. 1. 14.*
 erat hæc sequens inscriptio: *Bulla celebra-* **p. 835. & seq.**
*tionis Concilii Tridentini sub Pio quarto
 Pontifice Maximo. Pius Episcopus, ser-
 vus servorum Dei, ad futuram rei memo-
 riam. Ad Ecclesie Regimen, licet tanto
 oneri impares sola Dei dignatione vocati,
 statim circumferentes mentis oculos per omnes
 reipublicæ Christianæ partes, cernentesque
 non sine magno horrore, quam longe, late-
 que pestis hæresum, & schismatis pervasis-
 set, & quanta Christiani populi mores cor-
 rectione*

Sæcul. XVI
 A.C. 1560.

rectione indigerent, in eam curam, & cogi-
 tationem pro suscepti muneris officio incum-
 bere cœpimus, quemadmodum ipsas hæreses
 extirpare, tantumque, & tam perniciosum
 schisma tollere, moresque adeo corruptos,
 & depravatos emendare possemus: cum au-
 tem intelligeremus, ad hæc sananda mala
 aptissimum esse remedium, quod Sancta hæc
 Sedes adhibere consuevisset, Oecumenici,
 generalisque Concilii, ejus congregandi con-
 silium cepimus. Indictum illud quidem antea
 fuit a felicis recordationis Paulo tertio, &
 ejus Successore Julio, prædecessoribus no-
 stris, sed variis de causis sæpius impeditum,
 & interpellatum, perfici non potuit: squi-
 dem Paulus, cum id primum in Urbem
 Mantuam, deinde Vicentiam indixisset,
 quasdam ob causas in literis ejus expressat
 id primo suspendit, postea Tridentum trans-
 tulit: deinde cum quibusdam de causis ibi
 quoque ejus celebrandi tempus dilatatum fuisset,
 tandem suspensione sublata in eadem civitate
 Tridentina inchoatum fuit: Verum Sessio-
 nibus aliquot habitis, & nonnullis Decretis
 factis, ipsum se postea Concilium aliquibus
 de causis, accedente etiam Sedis Apostolicæ
 auctoritate, Bononiam transtulit: Julius
 autem, qui ei successit, in eandem Civita-
 tem Tridentinam id revocavit, quo quidem
 tempore facta alia quædam decreta sunt: sed
 cum novi in propinquis Germanicæ locis tu-
 multus excitati fuissent, & bellum in Italia,
 & Gal-

Et Gallia gravissimum exarsisset, rursus Sæcul. XVI.
 Concilium suspensum, Et dilatum fuit, an- A.C. 1560.
 nitente nimirum humani generis hoste, alias-
 que ex aliis difficultates, Et impedimenta
 obijciente, ut tantum Ecclesie commodum,
 quod prorsus auferre non poterat, saltem
 quam diutissime retardaret: quantopere vero
 interea auctæ fuerint, Et multiplicatæ, ac
 propagatæ hæreses, quantopere Schisma
 creverit, sine maximo animi dolore nec me-
 minisse possumus, nec referre, sed tandem
 pius, Et misericors Dominus, qui nunquam
 ita irascitur, ut misericordie obliviscatur,
 Regibus, Et Principibus Christianis pacem,
 Et unanimitatem donare dignatus est, quæ
 nos occasione oblata, maximam in spem ve-
 nimus, ipsius misericordia freti, fore, ut
 his tantis quoque Ecclesie malis eadem Con-
 cilio via finis imponatur. Nos itaque ad
 Schisma, hæresesque tollendas, ad corri-
 gendos, Et reformandos mores, ad pacem
 inter Christianos Principes conservandam,
 celebrationem ejus duximus non esse diutius
 differendam: habita igitur cum Venerabili-
 bus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ec-
 clesie Cardinalibus deliberatione matura,
 factis etiam Consilii nostri certioribus cha-
 rissimis in Christo filiis nostris, Ferdinando
 Romanorum Imperatore electo, Et aliis
 Regibus, atque Principibus, quos quidem
 (sicut de eorum summa pietate, Et Sapien-
 tia nobis pollicebamur) paratissimos ad
 Hist. Eccles. Tom. XLIII. H h ipsius

Sæcul. XVI
A.C. 1560.

ipsius Concilii celebrationem adjuvandam invenimus, & ad Dei omnipotentis laudem & honorem, & Gloriam, atque universalis Ecclesie utilitatem de eorundem Fratrum nostrorum consilio, & assensu, Sacrum, Oecumenicum, & Generale Concilium, ex auctoritate ejusdem Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum (qua nos quoque in terris fungimur) freti, & subnixi, in civitate Tridentina ad Sacratissimum diem Resurrectionis Dominicæ proxime futurum indicimus, & ibi celebrandum, sublata suspensione quacunque statuimus, atque decernimus: quocirca Venerabiles Fratres nostros, omnibus ex locis, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos Filios Abbates, ceterosque, quibus in Concilio Generali sedere, & Sententiam dicere, jure communi, vel ex privilegio, vel ex antiqua consuetudine licet, vehementer in Domino hortamur, & monemus, atque etiam districte præcipiendo mandamus, in virtute Sanctæ Obedientiæ, in vi quoque juramenti, quod præstiterunt, & sub pænis, quas in eos, qui ad Concilia Generalia convenire neglexerint, Sacris sciunt esse Canonibus constitutas, ut ad Concilium ibi celebrandum conveniant intra eam diem, nisi forte impedimento fuerint legitimo præpediti, quod tamen impedimentum per legitimos procuratores Synodo probare debebunt: Monemus præterea omnes, & singulos, quorum inter-

est,

est, interesse poterit, ut in Concilio ad-
 esse ne negligent: charissimos vero in Christo
 filios nostros, Romanorum Imperatorem
 electum, ceterosque Reges, & Principes,
 quos optandum sane esset Concilio interesse
 posse, hortamur, & rogamus, ut si ipsi
 interesse Concilio non potuerint, oratores
 suos prudentes, graves, & pios viros uti-
 que mittant, qui ipsorum nomine illi inter-
 sint, curentque diligenter pro sua pietate,
 ut ex eorum Regnis, atque Dominis Præ-
 lati sine recusatione, ac mora, tam necessa-
 rio tempore Deo, & Ecclesie officium suum
 præsent: eosdem etiam curaturos esse mi-
 nime dubitantes, ut per ipsorum Regna, &
 dominia tutum, ac liberum iter Prælati,
 eorumque familiaribus, comitibus, & aliis
 omnibus ad Concilium euntibus, & ab illo
 redeuntibus, pateat, benigneque, ac comi-
 ter omnibus in locis recipiantur, atque tra-
 dentur, sicut (quod ad nos attinet) ipsi
 quoque curabimus: qui nihil omnino præter-
 mittere decrevimus, quod ad tam pium, &
 salutare opus perficiendum a nobis in hoc
 loco constitutis præstari possit, nihil, ut
 Deus scit, quærentes aliud, nihil proposi-
 tum habentes in hoc Concilio celebrando, nisi
 honorem ipsius Dei, dispersarum ovium re-
 ductionem ad salutem, & perpetuam Chri-
 stianæ Reipublicæ tranquillitatem, ac quie-
 tem: ut vero hæc literæ, & quæ in eis
 continentur, ad omnium, quorum oportet,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1560.

Sac. XVI.
A.C. 1560.

notitiam perveniant, nec quisquam ea excusatione uti possit, quod illa ignoraverit; præsertim cum non ad omnes, quos de his literis certiores fieri oporteret, tutus forsitan pateat aditus; volumus, & mandamus, ut in Basilica Vaticana Principis Apostolorum, & in Ecclesia Lateranensi, tunc cum in eis populus, ut Missarum solemnibus intersit, congregari solet, palam clara voce a Curie nostræ curionibus, seu notariis aliquibus publicis recitentur, & postquam recitatae fuerint, ad valvas earum Ecclesiarum, itemque Cancellariæ Apostolicæ, & in loco solito Campi floræ, affigantur; ibique, quo legi, & omnibus innotescere possint, aliquamdiu relinquuntur: cum autem inde amovebuntur, earum exempla in iisdem locis affixa remaneant: Nos enim per recitationem hanc, publicationem, & affixionem, omnes, & singulos, qui his literis comprehenduntur, post duos Menses a die publicationis, & affixionis earum volumus perinde adstrictos, & obligatos esse, ac si ipsismet illæ coram editæ, & lectæ fuissent. Transumptis quoque earum, quæ manu publici alicujus Notarii scripta, subscriptave, & Sigillo, ac subscriptione alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munita fuerint, ut sine dubitatione ulla fides habeatur, mandamus, atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis, statuti, decreti, præ-

præcepti, admonitionis, & adhortationis **Sæcul. XVI.**
 infringere, vel ausu temerario contraire: **A.C. 1560.**

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo, tertio Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Huic diplomati subscripti legebantur præprimis summus Pontifex, necnon ex triginta, & uno Cardinalibus, præcipue Carpius, Tusculanus, Cæsius, Moronus, Madrutius, Truchsesius, Cueva, Tiberius, & alii. Postea eadem hæc Bulla Mense Decembri prælecta, ac promulgata per duos Cursores Apostolicos fuit publice affixa.

§. CXXVI.

Hoc diploma per Papæ Nuntium in Franciam delatum.

Die trigesima Novembris summus *Pallav c. 17.*
 Pontifex missis ad Franciæ Archi-^{n 7. & l. 15.}
 episcopos, atque Antistites literis eos-^{c. l. n. 5.}
 dem ad Synodum invitabat, quinimo promulgato priori diplomate mox Sedis Apostolicæ Nuntium in Franciam ablegabat, qui præfatas literas Regio Senatui porrigeret, easque acceptari curaret: porro hic nuntius erat Nichet-

H h 3 tus